

## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum,  
quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in  
tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Erectione, Qualitatibvs Ad Ea  
Obtinenda Requisitis ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

133. Quid juris habeat Vicarius participandi de massa distributionu[m],  
aliisque emolumentis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](#)

neque penes Capitulum universum, neque penes ullum ex Canonis; sed tota resideat penes Episcopum; qui & ipse tunc dicitur Rector illius. Lott. *ibid.* n. 133. qui tamen tunc nullum ex Canonis vel beneficiis illius Ecclesie invitum gravare poterit, ut illius cura exercitum subeat; Lott. n. 134. citans Gonz. *cit. gl. 6. n. 70.*

5. Respondeo quinto: quod si in Ecclesia aliqua non Collegiat curam subordinati administrat curam, dicendum erit, curam habitualis esse penes eum tantum, & hunc solum dici Rectorem, qui principalis est in ordine, & cui alii subordinantur. Lott. *ibid.* n. 139. citans Jo. And. & But. *in c. cum non ignores, de prab. pricipiis si ille colligeret jura & emolumenta illius Ecclesie, & ceteri de manu illius suas portiones; illud enim, ut dictum aliquoties, signum est clarissimum (etsi per accidens quandoque fallat, dum alius, qui non est verus Rector, jure aliquo speciali, immo laicus ex iuncto Papa perciperet decimas, & alia quaedam. Lott. loc. cit. n. 135.) Rector est persistens penes eum etiam cura habitualis. Lott. *ibid.* n. 140.*

6. Respondeo sexto: quod si in tali Ecclesia non collegiat cura administratur per plures non subordinatos inter se, neque ad esset capitulum, vel collegium aliquod, per quod cura illa demandaretur, singuli non dicuntur sponsi & Rectores illius Ecclesie, ne plures sponsi uni Ecclesie tribuantur; & quia jus parochia est individuum; neque eriam ullus eorum, sed vel proprius curatus, qui illis omnibus praest, vel si talis non sit, ipse Episcopus; vel denique, si nec sit Episcopus, ipse Papa; & isti habebuntur instar Vicariorum talis sponsi seu Rectoris. Lott. *ibid.* n. 141. citans Host. Imol. *in c. cum non ignores. & alios plures*

7. Respondeo septimo: ex de Luca *de parochis* d. 37. n. 40. & 41. diligenter attendendum, an superioritas vel alia praeminentia vel potestas, quam capitulum vel monasterium, vel dignitas aliqua habet in parochiali, importet curam habitualis ratione formalis unionis, seu quod ea sit membrum ac de mensa, vel econtra dictum jus, potestas vel Superioritas importet solum qualitatem patronalem, vel protectionem &c. universaliter jure habituali ac actuali residente penes providendum, non curato vocabulo seu nuncupatione, an scilicet dicatur Rector, an Vicarius, quoniam non verborum formula, sed substantia veritatis attendi deberet.

*Quæstio 131. Ad quem spectet cura & administratio beneficii, Vicario perpetuo mortuo, resignante, vel deposito, interim dum aliis substituitur?*

R<sup>E</sup>spondeo: esse penes Rectorem principalem. Laym. *ad c. querelam. de jure jurando. num. 3.* ita ut dum cura habitualis Ecclesie parochialis unitate monasterio spectat ad ejus Pralatum, haec exire posset in actu, & dictus Pralatus eam exercere seu actu administrare dictam Ecclesiam. Laym. *in qq. can. de elect. q. 208. in fine.*

*Quæstio 132. Quid jurisdictionis in Ecclesia competit Vicario respectivè ad Rectorem principalem?*

1. R<sup>E</sup>spondeo primò: Vicarium perpetuum habere jurisdictionem ordinariam, seu curam animarum ordinariam secundum exercitum, seu utilem. Laym. *ad c. 1. de off. Vic. in 6. n. 1.* sed neque Vicarius parochialis temporalis jurisdictionem de-

legatam habet, sed quasi ordinariam; cum non habeat diversam, sed eandem cum eo, cuius vices gerit, exercet ad modum, quo de Vicario generali Episcopi dicitur, sitque ei substitutus in ordinaria jurisdictione, officio, & cura. Laym. *ibidem n. 3.* Secus est de Vicariis temporalibus illis, qui loco alterius absentis aut infirmi constituantur. Laym. *ibid.*

2. Respondeo secundò: exercitum juris parochialis in pertinentibus ad curam animarum spectat ad Vicarium, licet exercitum juris parochialis in pertinentibus ad extraneam defensionem, vindicationem, & forum contentiosum pertineat ad principalem Rectorem; unde & capellæ seu parochiæ unitæ monasteriis dicuntur monachorum, non Vicariorum. Zabarell. *in clem. unic. de off. Vicar. q. 10.* apud Laym. *ad c. 3. de off. Vicar. n. 2.*

3. Respondeo tertio: Vicarius perpetuus postquam institutus vix quidquam amplius dependet a Rectore principali; cum jus reale beneficii curati ordinariæ auctoritate coassecutus sit, quo spoliari non potest, nisi per judicis sententiam ob crimen. Laym. *ad c. 3. de off. Vicar. n. 2.* habeatque administrationem, seu cura exercitum auctoritate juris de per se, in eoque nullo modo dependeat a Rectore principali. Hinc primò non potest per illum in exercitio cura impediri. Anchoran. *in c. expositi, de prab. in 6. apud Barb. l. 3. juris Ecc. c. 6. n. 31.* Lott. *l. 1. q. 33. n. 109.* Secundò: nequit Rector Vicario invito ulla tenus se ingerere in ipsius cura exercitio prætextu cura habitualis in Ecclesia deservendi & administrandi sacramenta; quia tota cura actualis Vicario à jure commissa est. Lott. *loc. cit. n. 111.* Barb. Laym. *l. cit. citantes Abb. in c. exstirpanda. de prab. n. 15.* & Azor. *p. 2. l. 3. c. 6. q. 2.* Tertiò: nequeunt monachi, quorum monasterio annexa est parochia ratione cura (intellige habitualis) in ea prædicare; cum potestas ligandi & solvendi sit penes alium, nempe Vicarium. Gl. *in c. adjicimus. 16. q. 1.* apud Lott. *n. 108.* Quartò: Non tenetur Vicarius de cura respondere Rectori principali. Lott. *ibidem. n. 107.* Denique pro iuribus Vicariae sua retinendis aut recuperandis absque mandato Rectoris principalis agere potest Vicarius perpetuus. Laym. *l. c. n. 2. citans Sylv. vide eund. Laym. loc. cit. n. 2. citans Sylv. Vide Eudem Laym. p. 2. pag. 348.*

*Quæstio 133. Quid juris habeat Vicarius participandi de massa distributionum, aliisque emolumentis?*

1. R<sup>E</sup>spondeo ad primum: Cum distributiones dicantur merx laboris, seu salarium operariorum psallentium in choro; aliisque divina pro cultu Ecclesie celebrantium; Vicarius, qui non est de corpore beneficiorum, neque deputatus ad servitium chori & Ecclesie, sed tantum ad exercitium cura & ministerium Sacramentorum, debet esse contentus sua congrua jam constituta extra has distributiones. Card. de Luca *de parob. d. 17. n. 6.* Participatio tamen distributionum practicari solet, quando Vicarius est unus de Capitulo, seu Collegio, cui annexa est cura, dictaque distributiones cedunt in locum congrua; ita ut ad instar Canonici penitentiarii assistens in confessionali aut alias in exercitio cura & administratione sacramentorum impeditus, habeatur pro assistente in choro. de Luca *ibidem.*

2. Respondeo ad secundum: regulariter loquendo, seu de jure ordinario jura omnia & emolumenta parochialis spectant ad eum, cui cura ha-

D 4  
bitualis

bitualis competit, adeoque Vicarius seu alio nomine nuncupatus ad solam curam actualem seu ejus exercitium deputatus jure operarii censendus est; ac proinde contentus esse deber congruā suā tanquam salario seu mercede operis ac laboris, de Luca, de paroch, d. 22. n. 7. citans plures Rota decisiones.

*Quæstio 134. An Vicarius parochi licentiam dare possit alteri presbytero assistendi matrimonio?*

**R**espondeo: de Vicario perpetuo intitulato certum est, quod possit; de eo etiam, quem parochus ad universitatem cura & administratiōnem sacramentorum deputavit, ait de Luca ad Trident. d. 26. n. 26, dicendum videri, quod iste non possit quidem alium Vicarium ad eandem universitatem deputare; possit autem dare licentiam specialem, & partes suas in negotio particulari alteri committere, &c. idem docent etiam de eo, quem parochus ad breve tempus absentię sua constituit, ut totam curam gerat; Sanch. de matrim. l. 3. d. 31. n. 15. Squil. de privileg. cler. c. 2. n. 34. apud Barb. de deoff. paroch. c. 1. n. 38. Unde inferri videtur, ut habetur in indice Card. de Luca ad Trid. posse talem Vicarium dare licentiam alteri presbytero assistendi matrimonio. Quod si etiam adest consuetudinē, ut talis parochi delegatus ad universam parochiā curam, dum & ipse abest, ad breve tempus substituat sibi aliū ministraturum omnia Sacra menta (in quo casu parochus vice curatum instituens conscius talis coniuerdinis tacitè videtur dare facultatem delegato suo substituendi sibi aliū subdelegatum ad universitatem causarum, quia tunc non tam delegatus delegati istius, quām ipsius parochi censemur) posset sic institutus à vice curato dare alteri licentiam assistendi etiam matrimonio. Barb. loc. cit. ex Squil. n. 35. qui etiam n. 37. addat, quod parochus præsens asfumeret Vicarium locantem operas suas ad cumjuvandum, hic Vicarius nequeat delegare; quia non censemur ipse vices suas plenè commissis parochus.

*Quæstio 135. Quæ etas requiratur in Vicario perpetuo, & intra quod tempus fieri debeat sacerdos?*

**R**espondeo ad primum, requiri ut sit 25. annorum inchoatorum. c. cūm in cunctis. de elect.

2. Respondeo ad secundum: requiri, ut intra annum à pacifica possessione Vicaria, & legitimo impedimento cessante, promoveatur ad sacerdotium. c. licet canon. de elec. juxta Clem. unic. de off. Vicarii. Ratio est, quia curam animarum ac beneficium veluti curatum habet. Laym. ad c. ult. de offic. Vic. Unde iura, quæ hac in parte constituta sunt parochio seu de Rectore parochialis Ecclesia etiam in Vicario perpetuo locum habent. Azor p. 2. l. 3. c. 6. q. 7.

*Quæstio 136. An & qualiter Vicarius perpetui teneantur ad residentiam personalem in suis Ecclesiis?*

**R**espondeo ad primum affirmativè: quia habent beneficium veluti curatum. Laym. loc. cit. cum communī.

2. Respondeo secundò: circa hoc onus ac modum residendi Vicario tali congruunt ea, quæ de

parocho disposita sunt. C. de Luca ad Trid. d. 4. n. 11. ac proinde sicur de parocho constituitur circa materialem ejus habitationem per plures S. Congreg. declarationes, ut ea sit prope Ecclesiam, sive intra ipsius parochiæ limites in loco convenienti, omnibusque opportuno in domo parocho destinata. de Luca ibid. ita idem dicendum de habitatione Vicarii perpetui.

*Quæstio 137. An & qualiter Vicarii perpetui teneantur ad recitandas horas Canonicas?*

**R**espondeo primò: Vicarium perpetuum obligari ad eas; quia est verè beneficiatus, ut constat ex c. postulati. de rescript. & quia Vicarius talis in Ecclesia tali parochiali verè curatus est quoad exercitium & effectum, licet quoad habitum & proprietatem cura sit penes Rectorem principalem. Laym. Theol. Mor. l. 4. tr. 2. c. 6. n. 8. citans Gloss. ad c. super eo. de prab. in 6.

2. Respondeo secundò: Vicarios temporales ratione Vicaria ad horas Canonicas non obligari. Laym. ibid. & Barb. l. 3. jurn. Eccl. c. 6. n. 62.

3. Respondeo tertio: excipiendo, quod hos temporales Vicarios casus sequentes. Primo: si speciatim deputatus sit ad officium Canonicum vice alterius in choro cantandum; Secundo: si ei plena administratio beneficii cum auctoritate & consensu Episcopi, tametsi ad tempus & amovibilitatem, commissa sit; tunc enim ex tacita conditio ne & pacto committi censemur, ut omnia officia, praester; si nimis principalis, cuius Vicarium agit, officium non persolvat. v. g. si aliqui commendetur Ecclesia interim, dum beneficiarius puer, qui puer scilicet orare non potest, adolescent; aut si parocho, qui ob incurabilem infirmitatem beneficio praesente nullo modo potest, Vicarius vel Coadjutor ab Episcopo designetur, ita ut administrationem etiam in temporalibus habeat, & solū aliquam portionem congruam parocho in firmo relinquere reneatur juxta Abb. in c. de rectoribus. de institut. n. 5. Tertio: si beneficium, quod monasterio unitum est, auctoritate Episcopi committatur alicui Vicario, quamvis ad nutum amovibili: ita ferè Barb. ex Laym. citatque uterque Suar. de relig. l. 4. de Hor. can. c. 22. n. 15.

*Quæstio 138. An & qualiter Vicarius teneantur ad subsidium charitativum?*

**R**espondeo ad primum: Vicarium, præsertim investitum seu intitulatum, teneri ad subsidium charitativum, ut & ad alias actiones, quæ alias ab Episcopo beneficiatis imponuntur. c. 2. de suppl. negl. prel. & c. de monach. de prab. Laym. in cit. c. 2. n. 5. Hæc enim sunt iura, quæ Pontifex ait, Vicariis persolvenda esse.

2. Respondeo ad secundum: persolvendum hoc subsidium juxta ratam portionem, quæ Vicariis ex officio provenit. Nihilominus interdum Vicariis, aliiisque pensionariis portio assignatur omnino libera, ita ut totum onus principali Rectori incumbat, tametsi is alias exemplus sit (non enim exemptus est ratione populi & Ecclesia parochialis Episcopo subjectus; cūm unio fieri censemur salvо jure Episcopali. Laym. l. 4. Theol. Mor. tr. 2. c. 17. q. 5. Abb. in c. pastoralis. de donat. in 6. & ibid. DD. communiter) in quo casu necesse non est, ut Vicario designetur certa portio redditum ex beneficio, sed sufficit ei dare congruentem sustentacionem.